

tur. Neuter vero ideo ab erronea sententia absolvi potest. Etsi enim ARETIUS in eo non male sentiat, quod credit, cadere poenitentiam in Infantes, atque sic re vera causam suam destituat (Si enim adsit poenitentia, quomodo cunque etiam definiatur, qua fronte quæso negari possit adesse fidem?) male tamen concipit formam poenitentie, eamque in his tribus tanquam partibus integralibus reposuit, dolore de admisso peccato, emendandi proposito & spe veniae atque sic ad alterum extremum prolabitur, cum ea ad ipsam poenitentiam refert, quæ potius ex ipsa fluunt ac promanant, ut reliqua, quæ a veritate coelesti abludunt, taceamus. Habeant itaque illi sua seque mutuo impugnent! Constat illorum exemplo, quantum cespitet ratio, quando de operationibus Spiritus judicium ferre audit. Cui ob illam, quam in Infantibus quoque exhibet, ineffabilem Sapientiam, Laus, honor, & gloria sit in Secula Seculorum!

TANTVM.

Dogmata